



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXXVII. De Juramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

117. part. 1. & Sanchez *Consl. lib. 2. cap. 3. dub. 25. & seqq.* qui plurimos Casus, imò totam materiam Simoniacæ pravitatis expendit; quem in casuum contingentia adire, prout etiam Dianam, Gibalinum, & Bonacinam, de eadem plenè agentes, non pigebit Lectorem.

¶ 1. *Quer.* An extent Propositiones damnatæ à Summis Pontificibus in materia Simoniacæ? *Resp.* Extare Tres; & sunt sequentes:

¶ Prima Innocentii XI. quæ est la 45. sic dicens: *Dare Temporale pro Spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi; & efficiendi Spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro Spirituali, aut e contra.*

Secunda, & est la 46. inter damnatas ab eodem Papa, sic ait: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi Spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius Rei Spirituales: sic, ut illud pluri aestimetur, quam Res Spirituales.*

Tertia est la 22. inter damnatas ab Alexandro Papa Septimo, & sic dicit: *Non est contra Iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

CAPUT XXXVI.

De Secundo Decalogi Præcepto.

1. *Quer.* Quot, & quibus modis homines soleant peccare contra hoc Præceptum? *Resp.* Cum in hoc Præcepto Deus mandaverit hominibus, *Ne assumant Nomen ejus in vanum*; solent ipsi peccare, malè adhibendo Juramentum, Adjurationem, & Vota; idè de his in hoc Præcepto erit agendum secundum Thom. Tambur. *lib. 3. in Decalog.*

CAPUT XXXVII.

De Juramento.

1. *Quer.* Quid sit Juramentum? *Resp.* Est invocatio Divini Testimonii ad faciendam fidem. S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1.

2. *Quer.* Quot modis possit fieri Juramentum? *Resp.* Quatuor modis: *Verbo*, cum quis ore profert, *Juro per Deum*, hoc ita esse &c. *Nutu*, ut si aliquis invitet alium, ut Juret per Deum, & ille oculis, vel capite annuat. *Facto*; ut si alicui offeratur Liber Evangeliorum, ut illum tangendo juret, & ipse tangat, nihil proferendo; nam eo ipso censetur jurare: vel si se subscribat scripturæ continenti formulam Juramenti. *Mente*, ut si quis interius in corde suo promittat aliquid facere, & jurejurando determinet, se illud facturum; nam si non facit, peccat contra virtutem Religionis. Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 1.*

3. *Quer.* An teneatur Juramento, qui Juravit per hæc Evangelia, credens, esse

Librum Evangeliorum, si fuisset liber profanus? *Resp.* Teneri, quia licet erraverit in materia, non erravit in proposito. Tambur. *dict. cap. 1. §. 1. num. 4.*

4. *Quer.* An sint Juramenta vera, & obligantia jurare in veritate, profectò, certè, per fidem meam? *Resp.* Cum distinctione, vel ite sciebat; per hæc verba non fieri Juramentum, & Deum non invocari; sed tantum intendebat fidem, & veritatem humanam, & in hoc casu nullum extat Juramentum; vel credebatur, sic dicendo extat Juramentum; & in hoc casu secundum Sanch. *lib. 3. in Decal. cap. 2. num. 7.* adstringitur Juramento; sed secundum Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 8.* non adstringitur, quia, cum nulla sit Dei invocatio, nullum dici potest Juramentum.

5. *Quer.* An teneatur adimplere Juramentum, qui juravit, se aliquid facturum, sed nesciebat, Juramentum habere vim obligandi? *Resp.* Teneri, nisi fortè in corde suo statuisse posset, se nolle obligari, quia alias censetur, voluisse obligari. Ita Castropal. & Sanchez apud Tambur. *d. lib. 3. cap. 12. §. 1. n. 5. 6. 7. 8.*

6. *Quer.* Quotuplex sit Juramentum? *Resp.* Plures assignari divisiones Juramenti, de quibus Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 2.* At præcipua hæc est, quòd Juramentum vel est Judiciale; vel extrajudiciale. Primum est, quod certo ritu, vel forma coram Judice, vel Notario exhibetur. Alterum, quod passim fit inter privatos, & hoc subdividitur in quatuor species; quia aliud dicitur Juramentum assertorium, aliud promissorium, aliud comminatorium, aliud execratorium: Primum, assertitur aliquid ita esse. Secundò, aliquid daturus esse, facturovè promittimus. Tertiò, comminamur punctionem alicui. Quartò, nobis execramur Dei indignationem, vel filiis nostris, si mentiamur, ut latius explicat Tambur. *d. §. 2.*

7. *Quer.* An sint juramenta valida illorum, qui aliquid asserunt, vel promittunt, & invocant in testes aliquas Creaturas, vel Sanctos, puta Cælum, Solem, Ignem, Aërem, Deiparam, Crucem &c. *Resp.* A Theologis hæc Regulam dari, videlicet, quoties juratur per Creaturam, quæ habet aliquam insignem qualitatem à Deo, ex qua excitatur peculiaris quodammodo in nobis memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc est verum, & validum juramentum, quia fit relatio ad Deum. Secus autem si per res, aut creaturas inferioris gradus, & ordinariæ conditionis. Idè, jurare per Cælum, per Solem, per Ignem, in quibus emicat specialiter potentia Dei, erit validum juramentum, eò magis jurare per Deiparam, per Sanctos, per Crucem; & universaliter, quotiescunque adjungitur vox Dei, semper censetur validum juramentum, ut per Solem Dei, per Aërem Dei, per Ignem Dei, per Crucem Dei. Sanchez in *Decalog. lib. 3. cap. 2. num. 9.* & Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 1. & 2. ubi num. 3.* notat, quòd si vox Dei proferatur enunciando, non invo-

invocando, nullum erit juramentum, ut d
Crux Dei! o Caelum Dei!

8. *Quer.* Quot conditiones debeat habere juramentum? *Resp.* Tres, nempe veritatem, Justitiam, & Judicium. Tambur. ubi supra §. 4. num. 1.

9. *Quer.* Quid sit jurare cum Veritate? *Resp.* Jurare non solum prout res in facto est, sed etiam prout ipse jurans credit, & sentit in corde suo; ideo, qui juraret rem materialiter quidem veram, sed formaliter falsam, quia jurans firmè crederet, se aliter haberi, juraret cum falsitate. Tambur. d. §. 4. num. 1.

10. *Quer.* Quale peccatum sit jurare sine Veritate? *Resp.* Esse mortale, etiam in re levi, nisi tamen non deliberatè juraret; quia ex defectu plenæ deliberationis excusatur, sicut in omnibus actibus humanis. Tambur. d. §. 4. num. 1.

11. *Quer.* An sit explicandum in Confessione, an falsum juramentum fuerit assertorium, vel promissorium? *Resp.* Negative secundum Tambur. d. §. 4. num. 4. et contrarium sentiat Castropal. ibidem allegatus.

12. *Quer.* Quid sit jurare cum justitia? *Resp.* Quod illa res, quæ assertitur, vel promittitur, sit consona justitiæ, reſtitutioni, & honestati; quod si è contra sit res injusta, turpis, & indigna; si gravis, juramentum erit mortale; puta juro per Deum, Blancam commississe adulterium; vel me baculo fracturum caput Francisco; quod si sit injustitia levis, veniale erit juramentum. Tamburin. d. cap. 1. §. 4. num. 5. lib. 3. in Decalog.

13. *Quer.* Quid sit jurare cum Judicio? *Resp.* Cum necessitate, causaque pia, utili, & rationabili, non autem absque necessitate, & cum irreverentia; quamvis omnes DD. asserant, hujus conditionis defectum facere tantum culpam venialem, si in juramento sit veritas, & Justitia. Tambur. ubi supra num. 7.

14. *Quer.* An mortaliter peccent, qui ex consuetudine in omni re jurant? *Resp.* Affirmativè, si soliti sint jurare falsum, & non eurent extirpare illam consuetudinem. Secus autem, si non sint soliti pejorare. Tambur. d. lib. 3. cap. 1. §. 5.

15. *Quer.* An talis consuetudinarius in jurando teneatur manifestare Confessario hanc suam consuetudinem? *Resp.* Asserere Castropalaum, sed inficiari Tamburinum d. §. 5. ex eo, quia aliud sit consuetudo intrinseca, aliud occasio proxima explicata, & voluntariè retenta; ut in eo, qui detinet domi Concubinam, cum qua solitus est fornicari; & ideo, si pejorans pejoratur ex sola negligentia in auferenda prava consuetudine, non tenetur se accusare de illa, quia novum peccatum non committit distinctum à perjurio; secus autem si ex pravo animo vellet illam pessimam consuetudinem in se retinere. Tambur. d. §. 5. per totum.

16. *Quer.* An peccet, qui exigit juramentum ab eo, quem scit esse pejoraturum? *Resp.* Si exigatur juramentum absque causa, & absque necessitate, peccat mortaliter,

quia dat ansam pejorandi proximo suo: At si ex causa, puta juris sui tuendi, vel ex officio; ut in Judice, qui reum constituendo, dat ei juramentum, non peccat; quia justa causa excusat à culpa. S. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 4. Suarez de Relig. tomo 2. lib. 3. De Juram. cap. 14. Sanchez in Decal. cap. 8. n. 8. & Tambur. d. §. 4. num. 3. cap. 1. §. 6. num. 1. & 2.

17. *Quer.* An peccet ille, qui inducit aliquem ad jurandum falsum, etsi ipse jurans credat esse verum, quod jurat? *Resp.* Peccare mortaliter; quia, non obstante bona fide jurantis, facit, quod Deus vocetur in testimonium falsitatis, Bonacin. De Juram. tom. 2. disp. 4. quæst. 1. punct. 11. ubi DD. Tamburin. d. §. 6. num. 3. ubi exemplis comprobatur hanc doctrinam; videlicet, de eo qui provocat ebrium ad contumelias in parentes, vel qui inducit infantem ad blasphemandum, vel conculcandum imaginem; vel qui servum credentem non esse diem festum, facit laborare; nam non peccabit quidem ipse ebrius, ipse infans, ipse servus; sed utique mortaliter peccabit ille, qui eos inducit ad patranda illa opera peccaminosa, ut latè explicat Castropal. tom. 1. disp. 1. de legib. punct. 24. §. 2. & ipse Tambur. d. §. 7. qui num. 7. videtur recedere à priori opinione, & defendere, quod qui inducit ad jurandum falsum illum hominem, qui credit jurare verum, non peccet; quia sic jurans exercet actum Religionis, & sic rem bonam; quod dici non potest in exemplis supra relatis de contumeliis, blasphemis, & inhonoratione festi; ob quam differentiam, etiam Hurtadus, & Tancredus tenent esse licitum sic inducere, quos sequitur Diana par. 3. tract. 7. resol. 14. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 5. resol. 58. Sed horum opinionem non approbat Cardin. de Lugo tom. 2. de Justit. disp. 39. sect. 3. à num. 31. Quare standum est primæ opinioni, quod non liceat sic inducere, & quod inducens peccet.

18. *Quer.* An peccet mortaliter, qui dubitans de certitudine rei, jurat eam esse certam? *Resp.* Affirmativè, quia se exponit voluntario periculo falsitatis. Tambur. d. lib. 3. cap. 2. num. 1. ubi probat certitudinem à parte rei esse sumendam moraliter, & juxta communem usum loquendi, non autem mathematicè; ut si Parochus fidem juratam faciat, quod Clericus integro anno, & totis diebus festivis frequentaverit Doctrinam Christianam, quamvis per aliquot vices ad eam non fuerit.

19. *Quer.* An sint judicanda falsa juramenta hyperbolicè prolata, utpotè ego profitebor tibi obligationem infinitam? Juro Petrum pollere divitiis infinitis? Materve juret, se filio inobedienti esse caput fracturam, vel baculo percussuram? *Resp.* Non esse judicanda falsa, si in re jurata aliquis etsi modicus excessus interveniat; nam qui hyperbolicè loquuntur, non juxta strictam verborum significationem, sed moralem tantum intelliguntur. Tamburin. d. lib. 3. cap. 2. §. 1. num. 4. & 5.

64 Erotem. Eccles. Cap. XXXVII. De Juramento.

20. *Quer.* An liceat jurare tanquam verum, & certum, quod quis tantummodo scit ex probabilitate, & verisimilitudine? *Resp.* Negative, quia ad reverentiam juramenti, ultra probabilitatem requiritur saltem moralis certitudo veritatis. Tambur. *ubi supra* num. 6. puta si quis audivisset illam à viro probò; quod est intelligendum extra iudicium; nam in iudicio qui scit rem aliquam ex solo auditu alieno non potest asserere, eam esse veram, & certam. Sanchez in *Decal.* lib. 2. cap. 4. num. 13.

21. *Quer.* An creditor centum aureorum, ad convincendum debitorem suum injuste negantem debitum, possit inducere duos testes ad testificandum debitum illud esse verum, cum verè verum sit? *Resp.* Non posse; & si illi jurarent, mortaliter peccarent in iudicio, ubi requiritur à iudice, ut jurent de certa scientia, non autem de credulitate. Tamburin. d. lib. 3. cap. 2. §. 1. num. 10. & 11. ubi subdit, quod si bona fide ita jurassent, nullam culpam commississent, & ad nullam restitutionem essent obnoxii; quod si prius admoniti, ne jurent, jurassent, peccati mortalis rei essent ob violatam veritatem, & fidem iudicis debitam; sed non tenerentur restituere; cum nihil operati essent contra commutativam iusticiam in damnum iniqui debitoris; quod placet etiam Cardin. de Lugo *ubi supra*, & Navar. in *Man.* cap. 25. num. 41.

22. *Quer.* An in juramento jocosò requiratur in jurante certitudo veritatis? *Resp.* Affirmative, quia etsi ex joco, tamen juramentum est, & in eo debet esse Veritas. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 12. qu. 4.

23. *Quer.* An peccet mortaliter, qui promittit aliquid cum juramento sine animo adimplendi? *Resp.* Affirmative, quia deficit Veritas, ex quo defectu graviter Deus offenditur, & religio violatur; & ulterius damnum proximi resultat; & sic læditur iustitia. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 8. num. 42. Tamburin. d. lib. 3. in *Dec.* cap. 3. §. 2. n. 1.

24. *Quer.* An, qui iurejurando aliquid promittit, animo tamen non se obligandi, adstringatur juramento? *Resp.* In foro conscientie non adstringi; quia, cum noluerint se obligare, coram Deo non est obligatus. At in foro fori est adstrictus, & à iudice compellendus est promissa servare; quia præsumptio stat pro juramento, quod se voluerit obligare tum ex virtute Religionis, tum ex fide humana. Tamburin. pluribus citatis d. lib. 3. cap. 3. §. 2. & §. 5. per totum ubi DD.

25. *Quer.* An promissio jurata de re contra iusticiam, vel contra consilia Evangelicæ obliget ad executionem? *Resp.* Negative, ea communi ratione, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. cap. Quando. De Iurejur.

26. *Quer.* An jurantes concubini, se cum aliis rem carnalem non habituros, teneantur vi Juramenti ab omni alia copula abstinere? *Resp.* Negative, quia aliàs juramentum esset vinculum concubinatus, ad cujus

manutentionem censetur emissum. Fagund. in *Præcept.* Decalog lib. 2. cap. 24. num. 19.

27. *Quer.* Quale peccatum sit, non adimplere promissum sub juramento? *Resp.* Si promissum sit de re gravi, esse mortale; nam & Religio erga Deum graviter læditur, & iustitia proximi. Si verò sit de re levi; alii sentiunt esse mortale; alii tenent, esse tantum veniale; quia Deus vocatus fuit in testem sinceræ voluntatis promittentis ab initio; non etiam executionis in adimplendo; & ideo jurans non adimplens non dicitur mendax coram Deo, sed infidus erga proximum. Ita Tambur. alios referens DD. d. lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 4.

28. *Quer.* An sint exequenda juramenta promissoria de re injusta? *Resp.* Negative; & quidem sub poena peccati mortalis, si res injusta sit gravis; venialis autem, si sit levis. Tambur. d. §. 3. num. 5. & num. 9. & 10.

29. *Quer.* An peccent Domini, vel Magistri, qui juraverunt verberare pueros; aut viri nobiles, se nolle esse primos in ingressu, vel egressu domus; quando non servant id, quod juraverunt? *Resp.* Non peccare, si excusatio aliqua superveniat, puta humiliatio, vel emendatio puerorum, supplicatio amici, & similia; prout etiam in nobilibus viris mutua remissio juramenti, præterquam quod censetur jurare absque animo se obligandi. Sanchez lib. 3. in *Decal.* cap. 9. à num. 16. Gobat. in *Opuscul.* de Juramento num. 528. & Tambur. *ubi supra*.

30. *Quer.* An Juramenta promissoria soli Deo facta obligent? *Resp.* Affirmative; dummodo, adinstar voti, sint de re licita, & honesta (non indifferenti tantum) & non impeditiva majoris boni. Ideò, si promissisti jejunare, & jejunium impediatur tibi conversionem animarum, non teneris jejunare. Tambur. d. lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 7. & 8.

31. *Quer.* Quale peccatum sit, promittere Deo cum juramento rem impossibilem? *Resp.* Esse mortale, si advertenter quis juret, nam videtur Deum irridere; veniale autem, si inadvertenter, & absque iudicio. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 18. num. 7. Sanchez in *Dec.* lib. 3. cap. 4. num. 4. Tamburin. d. §. 3. num. 10.

32. *Quer.* An Juramenta promissoria de re indifferenti facta hominibus sint obligatoria? *Resp.* Affirmative, & hæc est differentia inter juramentum promissorium factum homini, & Votum factum Deo, quia votum de re indifferenti non valet, quoniam non respicit obsequium Dei; sed promissio jurata facta homini de re indifferenti valet, & obligat ex eo, quod potest esse grata, & utilis ipsi homini. Hinc, qui juravit Deo, ducere in Uxorem Margaritam, potest vovere, & servare castitatem, posthabito Juramento, ne sit impeditivum majoris boni; at si juravit ipsi Margaritæ, eam ducere in Uxorem, non potest amplius vovere castitatem, sed tenetur eam ducere pro Juramento servando; quod semper servari, & adimpleri debet, quando ejus inobser-

vantia esset peccatum. Sanchez in Decal. lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 11. & 12.

33. *Quer.* An sit adimplenda promissio jurata facta e. g. dictæ puellæ Margaritæ de ea ducenda, si ipsa non acceptavit promissionem? *Resp.* Cum distinctione: Vel Juramentum fuit Deo factum, & in ejus honorem; & est adimplenda ob virtutem Religionis, quia censetur à Deo promissio acceptata. Sanchez, & Tamburin. ubi supra. At si quis promisit jurando, respexit tamen ad ipsam puellam, non tenetur adimplere, ea ratione promissio non acceptata non obligat. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 7. num. 24. Lessius lib. 2. cap. 17. num. 32. & Juramentum sequitur naturam Actus, cui adnectitur. Tambur. d. cap. 3. §. 3. num. 13. & §. 4. num. 3.

34. *Quer.* An Juramenta promissoria hominibus facta vel de famulatu servando, vel de Matrimonio ineundo, possint posthaberi, & non observari, ad effectum ut promissor possit ingredi Religionem, & fieri Religiosus? *Resp.* Cum distinctione. Si promissio jurata fuit ex mera liberalitate, non obligat; sed potest eam posthabere, & ingredi Religionem; est enim privilegium hoc in jure, ut etiam post contractum Matrimonium, & non consummatum intra bimestre liceat recedere, & Religionem ingredi. cap. Ex publico. De Convers. Conjugator. At si promissio jurata fuit ex iustitia, puta quia defloraverat puellam, vel pecuniam à Domino, ut ei famularetur, accepit; in hoc casu tenetur exequi juramentum, & abstinere à Religionem; nam prævalet obligatio iustitiæ. Tambur. d. lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 14. & 15. ubi num. 16. subdit, quod dicta jurata promissio liberalis non esset observanda, si jurans vellet suscipere ordines sacros, excepta promissione Jurata futuri Matrimonii: quia ab hujus implemento non liberat, nisi realis Religionis ingressus.

35. *Quer.* Qualis interpretatio sit facienda, ubi dubitare contingat de intelligentia, observantia, vel executione Juramentorum? *Resp.* Quando constat de mente Jurantis, & de intentione, quam habuit in promissorio Juramento, non est opus interpretatione; sed admissum est adimplendum Juramentum. Porro ubi dubitare contingat, vel circa intentionem, quam habuit Jurans, vel circa verba dubia ipsius Jurantis, tunc dantur tres Regule.

Prima Regula est: Servata proprietate verborum ea debet fieri interpretatio, quæ minus obliget ipsum jurantem; nam præsumitur, voluisse minus lædere suam libertatem. Hinc qui juravit ingredi Religionem in genere, potest minus strictam ingredi; vel si alicui servire, sufficit, si per aliquot dies serviat; vel si dare elemosynam, potest minimam tantum elargiri. Tamburin. d. lib. 3. cap. 3. §. 4. num. 2. Layman. libr. 4. tract. 4. cap. 3. num. 4.

Secunda Regula. Juramentum est semper restringendum juxta naturam actus, super quem cadit, quia accessorium sequitur naturam principalis; nec jurans præsumitur, alio modo se obligare voluisse. Quare omnes

restrictiones vel conditiones, quas de jure, vel consuetudine habet promissio, easdem omnes habet juramentum illi ad hærens. Hæ autem solent esse quatuor. Prima, si potuero de jure, vel de facto; nam ad impossibile, vel ad turpia nemo tenetur. Secunda, si Superior legitime non contradicat. Tertia, si res non fuerint notabiliter mutata. Quarta, si promissio fuerit acceptata, vel non remissa à parte. Lessius lib. 2. cap. 42. num. 22. & Tamburin. d. lib. 3. cap. 3. §. 4. à num. 3. & seqq. ubi plura ponit exempla; quorum illud, quod si Clericus juravit residentiam, potest non residere in casibus à jure concessis; nempe in Congregatione Parochorum Paduæ, in qua residentia non est præcisa, sed conditionata, & causativa ad lucrandas partes, & distributiones ejusdem Congregationis. Item exemplificat de eo, qui juravit ducere sponfam, nam si fornicata sit, vel infirmitate molesta afficiatur, aut reperiat non habere tantam dotem, non tenetur adimplere juramentum. Item qui juravit, non nocere inimico, si is novam causam inimicitie dedit, jurans est absolutus à suo juramento. Gobat in d. Opusc. de Juramento à num. 495. usque ad num. 500.

Tertia Regula: Juramentum nunquam censetur factum in præjudicium tertii, quia sic esset illicitum. Cap. Venientes. cap. Cum contingat. De Jurejur. cap. 2. eod. in 6. Hinc qui juravit, alicui secretum se servaturum, si ex secreto penderet malum alteri, potest ei revelare, absque tamen nocimento primi. Qui juravit peregrinationem, potest desistere, si ex ea magnum resultet præjudicium familie; ut latius Tambur. d. cap. 3. §. 4. num. 7. & 8.

36. *Quer.* An obligent Juramenta promissoria in actibus à lege prohibitis? *Resp.* Non obligare; idem, qui ex metu contraxit Matrimonium cum juramento, vel Professionem fecit, non obligatur. cap. 2. De eo, qui duxit. Et si Novitius renunciationi bonorum per se factæ contra formam à Tridentino Concilio sess. 25. cap. 16. de Regul. juramentum adjiciat, non adstringitur. Tambur. d. lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 2.

37. *Quer.* An sit obligatorium juramentum extortum à latrone dandi ei pecuniam, vel ab Usurario solvendi ei usuras ex mutuo? *Resp.* Esse obligatorium ob religionem, & reverentiam erga Deum, qui vocatus fuit in testem; nam etsi latro, & Usurarius recipere non possint absque peccato; qui juravit, dare potest sine peccato. Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 7. num. 1. Verum tamen est, quod sic solvendi competit Jus petendi relaxationem juramenti, & repetitionem soluti. Tambur. d. cap. 3. §. 5. num. 6.

38. *Quer.* An ille, qui castitatem vovit, vel juravit, deinde promittit cum juramento, se ducturum in Uxorem Franciscam, obligetur eam ducere? *Resp.* Non obligari, quia ob præcedens votum, vel juramentum, hæc est materia mala, & jurans peccavit. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de Jura. cap. 19. num. 10. Tambur. d. §. 5. num. 7.

39. *Quer.*

39. *Quar.* An qui contraxit sponsalia cum una absque juramento; deinde contrahit sponsalia jurata cum alia, teneatur adimplere juramentum? *Resp.* Negative, quia juramentum est invalidum, tanquam factum de re injusta. Sanch. de Matrim. lib. 10. disp. 50.

40. *Quar.* An saltem ille teneatur ducere secundam, si prima voluntarie remittat sua sponsalia? *Resp.* Non teneri, quia quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit; & cum ab initio secunda sponsalia fuerint invalida, non reconvalescunt per remissionem, quam facit prima sponsa. Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 50. Tamburin. d. cap. 3. §. 5. num. 8. ubi subdit, quod si post dictam remissionem renovetur promissio cum secunda, in hoc casu valebit.

41. *Quar.* An dispositiones factæ contra prius iuramentum sint validæ? Ut exempli gratia, si quis juravit non vendere suum equum, & vendat, alterique tradat? Vel non mutaturum testamentum, & mutet? Vel non ducatur aliam in Uxorem, & aliam ducat? *Resp.* Has secundas dispositiones, contra præcedens iuramentum factas esse quidem illicitas, & continere perjurium; nihilominus esse validas, quia iuramentum non inhabilitat iurantem, ita, ut non possit facere actum, quem valide antea agere poterat. Tamburin. d. lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 9. & 10. Ubi notat ly *Quam valide agere poterat*: quia si iurasset alteri non vendere equum, quem tibi vendiderat, & tradiderat; si de facto alteri vendat, secunda venditio est non solum illicita, sed invalida; quia equus non est amplius in sua potestate, & nulliter etiam sine præcedenti iuramento vendidisset alteri. Similiter si quis iuraverit non alienare fundum dotalem, & illum alienet postea absque debitis solemnitatibus, venditio illa erit illicita, & invalida; quia non est in eius potestate dotalem fundum vendere.

42. *Quar.* An teneatur ad aliquid, qui non servat iuramentum factum in favorem tertii? *Resp.* Teneri ad refarcienda omnia damna provenientia illi tertio ob violatum iuramentum. Tamburin. d. §. 5. num. 11.

43. An sint valida sponsalia contracta per metum gravem, si iis addatur iuramentum? *Resp.* Negative; & ideo, qui iuravit, non teneatur contrahere cum illa sponsa, neque petere relaxationem iuramenti, cum ex nullitate consensus, cui fuit superadditum, non obligaverit. Tamburin. d. lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 5. num. 12. 13. 14. ubi tamen subdit, quod si metus fuisset levis, iuramentum obligaret; sed posset Episcopus in foro interno dictam obligationem iuratoriæ relaxare.

44. *Quar.* An Juramentum de accusando, vel e contra de nunquam accusando obliget? *Resp.* Obligare, donec & quousque illius observantia non causet aliquod grave malum, vel peccatum. Sanch. lib. 3. in Dec. cap. 21. num. 12. Tamburin. d. §. 5. num. 15. & 16. ubi notat, iuramenta matris accusandi filium Patri, non esse obligatoria, si filium

videat poenitere, vel emendari. Gobat. d. Opuscul. de Juram. num. 528.

45. *Quar.* An valeat iurata promissio dari mille aureos meretrici ad fornicandum? *Resp.* Ante fornicationem non valere, imò adimpleri non posse absque peccato. At post fornicationem, communis opinio est, quod valeat, & sit obligatus illos solvere, quia licet finis fuerit peccaminosus, donatio tamen est licita; nisi forte in parte retractanda ob excessum; quod tamen DD. plurimi non admittunt, sed volunt, esse de iustitia solvendam integrè. Sanch. lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 18. Bonatin. tom. 2. disp. 4. de Juram. quest. 1. punct. 4. num. 3. Tamburin. d. §. 5. num. 17. & 18. qui vult, ob prodigalitatem non esse in toto solvendam, quia prodigalitas est res mala, ad quam iuramentum non obligat.

46. *Quar.* An iuramentum vel per errorem, vel per dolum extortum obliget iurantem? *Resp.* Negative, si error, vel dolum versetur in substantia, quæ dedit causam iuramento; secus si in accidentalibus tantum, quamvis in hoc casu possit peti iuramenti relaxatio; ratio prioris est, quia ubi est error, nullus est consensus. Ita Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 7. Tamburin. d. §. 5. num. 21. 22. & 23. ubi exemplificat de eo, qui iuravit ducere puellam in Uxorem, credens, eam esse Virginem, quam violatam reperit; vel qui iuravit emere gemmam, credens veram, & sit vitrea, & de similibus.

47. *Quar.* An iuramenta de rebus indifferentibus sint aliquando obligatoria? *Resp.* Affirmative, quando scilicet facta sunt ob aliquem bonum finem spirituales; & nullum damnum causant tertio. Tamburin. d. §. 5. num. 28.

48. *Quar.* An qui promissit cum iuramento redire ad carcerem, teneatur redire? *Resp.* Affirmative etiam cum discrimine vitæ, si carcer sit iustus, iustaque sententia; nam iuramentum tunc est de re virtuosa. At si carcer sit injustus; quod non teneatur redire, tenet Vasquez, & alii apud Castropal. tom. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 4. num. 14. e ratione, quia temerarium est offerre semoti injustæ, & iuramentum de re temeraria non obligat. Porro, quod teneatur redire, quia licet etiam injustæ morti se offerre ad servandam fidelitatem, & veritatem iuramenti, docent Suarez, & Layman, quos allegat Tamburin. d. lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 31. dicens, priorem opinionem probabiliorē esse, hanc posteriorem probabilem; & quod in hoc casu Episcopus posset relaxare tale iuramentum, & tandem, quod si ante reditum ad carcerem, mutata sint circumstantiæ in aliqua re notabili, cessat obligatio iuramenti, & non tenetur redire. Gobat. d. Opuscul. de Juram. num. 511. De reditu faciend. ad carcerem juxta iuramentum est pulchrum exemplum M. Atilii Reguli Romani carcerati à Carthagenensibus, à quibus dimissus Romam ad concordandam commutationem carceratorum, cum Senatus recusasset eam facere, reversus est Carthaginem ad carcerem.

carcerem, prout facere juraverat. Ita in bello *Mente del Savio*, pag. 16.

49. *Quer.* An creditor aureorum centum, cum viderit debitorem suum difficilem in solvendo, petieritque, & obtinuerit ab eo alios centum aureos mutuo cum juramento de restituendis intra mensem, possit negare restitutionem priori suo debitori, & secum uti compensatione? *Resp.* Affirmative, quia non est perjurus, qui legitime præpeditur implere promissa. *l. fin. ff. Qui satis dare cogantur.* At iste creditor legitime impeditur restituere pecuniam suo debitori, à quo tantumdem sibi debitum non potest exigere; quod ex Juristarum, & Canonistarum auctoritate probat Tambur. *d. §. 5. num. 35.*

50. *Quer.* An obliget juramentum factum contra legem? *Resp.* Cum distinctione. Si contra legem Ecclesiasticam factum sit, minime obligat. Si verò contra legem Civilem, subdistingue: Vel lex Civilis tendit ad publicum bonum, & est universalis, & neque tunc juramentum contrarium obligat, quia saltem veniale est, facere contra dictam legem. Vel ipsa lex concernit commodum privatarum personarum; & tunc juramentum obligat, quia lex censetur permittere, ut privati possint privilegio suo renunciare. Ita Sanchez *lib. 3. in Decal. cap. 9. num. 29.*

Sed contrarium docet Castropal. *tract. 3. de Juram. disp. 2. punct. 8. num. 6.* quem citat Tamburin. *d. §. 5. num. 41.* ex eo, quia interest Reipublicæ, ut omnes leges serventur; quare hi DD. dant hanc aliam regulam, videlicet, aut lex jubet, aut vetat? & non valet juramentum promissorium contra eam emissum. Vel permittit, & concedit; & contra hanc juratoria promissio sustinetur. Hinc, si alienetur fundus dotalis, pro executione juramenti, alienatio non valet; nam lex prohibet talem alienationem; at si alienans jurat, se non repetere fundum dotalem alienatum, juramentum obligat, quia ita lex permittit. Tambur. *dict. lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. num. 42.* ubi dat alia exempla, & *num. 47.* notat, in his casibus semper tutius esse, petere relaxationem juramenti.

51. *Quer.* Quid sentiendum de juramentis fieri solitis a venditoribus, vel emptoribus, se non esse daturos plus, vel vendituros minori pretio? *Resp.* Talia juramenta non obligare, tum, quia vel sunt inutilia; vel, si utilitatem propriam respiciunt, potest, qui fecit, sibi ipsi illam remittere. Castropal. *tom. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 7. §. 2. num. 4.* Bonac. *tom. 2. disp. 4. de Juram. quest. 1. punct. 4. num. 3.* Nisi illa jurata promissio faveret tertiæ personæ, à qua esset acceptata; quia tunc resilire ab eodem non posset. Tambur. *d. lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 49.* & Gobat. *d. Opusculo de Juramento num. 529.*

52. *Quer.* An, qui juravit Statuta, vel Constitutiones servare, teneatur ad juramentum, si contraria sit consuetudo? *Resp.* Non teneri, quia intelligendum est juramentum de statutis in viridi observantia ex-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

istentibus. Gobat, *ibid. n. 650.* At, si statuta sint confirmata à Superiore, & jurata à capitularibus, sunt omnino ab eis servanda. Felin. *in cap. Cum accessissent, num. 13. de Consuet. Pignarell. tom. 4. consult. 76. num. 6.* Porro Canonici Paduani, qui jurant servare statuta, & consuetudines illius Capituli, non sunt obligati, nisi ad consuetudines scriptas in volumine Statutorum; ut decisum est in eodem volum. ad Statut. 42.

53. *Quer.* An Alumnus Seminarii, qui juravit Clericalem vitam se facturum, possit ingredi Religionem? *Resp.* Affirmative, tanquam magis perfectam vitam, nisi ob bonum publicum id eis prohibeatur, ut sit Alumnis Collegii Anglicani Romæ ex Pellizzar. Layman. & aliis apud Tambur. *d. §. 5. num. 55.*

54. *Quer.* Quid sentiendum de juramentis non ludendi? *Resp.* Circa hæc dantur tres Regule. Prima est, si jurans non distinxit de ludo moderato, vel immoderato? & poterit ludere ludo moderato; quia omnis obligatio interpretatur semper in minorem partem. *l. Quidquid adstringenda ff. de Verb. obligat.*

Secunda regula, si juravit abstinere tantum ab immoderato, quam à moderato ludo; tenetur omnino abstinere, licet enim moderatus ludus videatur spectare ad virtutem Eutropeliæ. S. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. nihilominus ob mortificationem abstinere, est major virtus, prout abstinencia à cibo, à conversationibus, & similibus, ut ait Castropal. apud Tambur. *dict. §. 5. num. 58.*

Tertia Regula; juramentum non ludendi in tali loco, vel cum tali persona, si fuit ob vindictam, vel absque aliquo fine honesto, non obligat; est enim de re indifferenti; at obligabit, si ob aliquem bonum finem, puta evitandi rixas, vel pecunias non consummandi, fuerit juramentum emissum. Navar. & Bonacin. penes Tambur. *d. §. 5. num. 61.* Gobat. *d. Opusculo de Juram. num. 524. & seqq.*

55. *Quer.* An, qui juravit non ludere, possit per intermediam personam ludere? *Resp.* Affirmative, etiam si stet præsens, nisi in suo juramento hoc etiam inclusisset. Castropal. & Tambur. *d. §. 5. num. 62.*

56. *Quer.* An, qui non ludere juravit, possit alieno nomine, alienisve pecuniis ludere? *Resp.* Metiendum esse ex intentione, qua juravit non ludere. Quia, si id nescit, ne tereret tempus, vel jurgia haberet, non potest. Si verò, ne consumeret pecuniam suam, poterit. Tambur. *d. lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. num. 63.*

57. *Quer.* Si Filius promississet, & jurasset Patri cuncti Romam, se non lufurum aleis, donec ipse rediret Roma; si pater Romæ moriatur, poteritne Filius ludere? *Resp.* Negative secundum Bonacinam *tom. 2. disp. 4. de Jur. punct. 16. num. 8.* Sed affirmative secundum Tamburin. *dict. lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 5. num. 64.* quia non ad litteram est intelligendum juramentum Filii, sed secundum mentem, qua juravit; quæ fuit, non ludendi per tantum tempus, quantum

68 Erot. Eccles. Cap. XXXVIII. De Amphibologia &c.

tum intercescit, si Pater vivens expeditus à negotiis reverteretur in Patriam.

58. *Quer.* An ille, cui insignis Medicus revelavit secretum medicamentum contra malignas febres, exacto prius juramento non manifestandi illud, nisi uni ex suis consanguineis, possit, non obstante juramento, illud manifestare? *Resp.* Quod possit, arbitrati sunt Fagund. lib. 2. in Decal. cap. 1. 4. num. 17. & Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de Jur. cap. 17. num. 11. ea ratione, quia celare illud videtur esse contra bonum publicum, & charitatem proximi, & sic juramentum non obligare. At Tambur. dict. x. §. 5. num. 65. & Gobat. d. Opus. de Juram. num. 555. putant obligare, tum, quia ille unus, cui revelabitur secretum, poterit sufficienter succurrere proximo indigenti; tum etiam, quia extant alia remedia pro febribus, quibus uti possunt infirmi.

59. An sint obligatoria juramenta de non mutando, vel fide jubendo? *Resp.* Non esse obligatoria, quia sunt contra proximi charitatem. Suarez dict. cap. 17. num. 12. & Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 8. num. 18. At si fiant in gratiam filiorum, vel ad effugiendas occasiones blasphemandi, aut ad faciendas copiosiores eleemosynas, habent vim obligandi, quia sunt de re grata Deo. Tambur. dict. §. 5. num. 66. & Gobat. dict. Opus. de Juram. num. 521.

60. *Quer.* An obliget juramentum factum de mutuando omnibus petentibus? *Resp.* Obligare, quia censetur factum in laudem Dei, & ob charitatem proximi; cessaret autem obligatio, si nimium detrimentum ipsi Juranti resularet, quia talis casus non censetur inclusus. Tamburin. dict. lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 5. num. 69.

61. *Quer.* An, qui juravit mutuare, vel dare eleemosynam pauperi, possit expectare, donec sibi petatur? *Resp.* Nisi intellexit statim dare, posse mutuum differre, quousque sibi petatur, eleemosynam vero debet illam statim facere, nisi voluerit esse dandam petentibus. Tambur. d. §. 5. num. 70.

62. *Quer.* An juramentum positum in contractu invalido confirmet ipsum contractum? *Resp.* Esse difficultatem magnam de hoc inter Theologos; quare alii sentiunt, non confirmare, ita, ut habita relaxatione, juramenti contractus sit rescindendus; quia obstabat tantum Religio in Deum ob juramentum, non autem jus validitatis, & iustitiae acquisitum parti. DD. apud Sanchez in Decal. dict. lib. 3. cap. 12. num. 4. & 8. Alii autem docent, ferè omnes contractus juramento ad deò confirmari, ut, licet ex se invalidi forent, ob juramentum sint irrefcindibiles; & sunt omnes illi contractus, in quorum stipulatione, & adimplemento, non intrat peccatum. Tamburin. DD. allegans dict. lib. 3. in Decalog. cap. 3 §. 6. num. 4. & 5. qui huic sententiae non acquiescit, sed primam dicit probabiliorem; nimis enim videtur durum, quod sceminae, vel minores jurantes super validitate alienationum, quas cum sui detrimento faciunt, non possint, post obtentam relaxationem juramenti à Prælato, a-

gere ad rescissionem contractus; nam semper est firma illa ratio, quod juramentum non confirmat contractus invalidos, neque causat obligationem ex iustitia, sed tantum ex Religione, ob obsequium erga Deum vocatum in testem. Tamburin. ibid. num. 7. & 8.

63. *Quer.* An juramentum Testatoris obliget heredem? *Resp.* Non obligare, si soli Deo juravit Testator, se aliquid facturum, vel daturum. Secus autem, si juravit personae alicui, à qua sit acceptata jurata promissio, de re tamen iusta, Tamburin. d. lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 6. num. 2. & 3. ubi num. 4. advertit, quod, si Testator jurasset dare eleemosynam, vel opus pium facere, tenetur haeres adimplere; non vi illius Juramenti, vel Voti; sed quia Jus Canonicum, & Civile sic illum obligat, nec alio modo finit eum adire hereditatem. cap. Licet de Voto cap. Si haeres ad Testam. cap. Ex parte, de Confl. & l. 2. ff. de Pollicit.

64. *Quer.* An jurata promissio tibi facta, & à te acceptata transeat ad heredem tuum? *Resp.* Affirmative, quia parit actionem, & omnis actio transit ad heredes. Tambur. d. §. 6. in fine.

65. *Quer.* An sit peccatum, jurare per falsos Deos, ut per Deum Bacchum? *Resp.* Esse peccatum gravissimum blasphemiae, nisi joci causa sic juretur. Gobat. in Opuscul. de Blasphemia num. 722. semper tamen sunt objugandi sic jurantes, & ab hac scandalosa locutione retrahendi.

C A P U T XXXVIII.

De Amphibologia, & Equivocatione in Juramentis.

1. *Quer.* An in juramentis sit licitum uti equivocatione, & amphibologia, vel restrictione mentali, ad occultandam veritatem interroganti absque peccato? *Resp.* Ad hæc usque tempora communem fuisse Neotericorum, & Casistarum doctrinam, quod iusta sussistente causa evitandi aliquod periculum, vel incommodum, licita essent amphibologiae, & equivocationes, etiam cum juramento tam in Judicio, quam extra Judicium, quia per restrictionem mentalem salva erat Veritas, neque incurreret mendacium, qui sic jurabat; sive esset contrahens, sive testis coram Judice, sive Reus, ut refert Tamburin. (qui plurimos DD. allegat) dict. lib. 3. in Decalog. cap. 4. num. 1. 2. & 3. & pluries docuit Diana; videlicet in Opere suo Coord. tom. 5. tract. 7. resolut. 14. num. 3. & tom. 6. tract. 1. resolut. 100. 101. & 102. & tom. 8. tract. 4. resolut. 64. ubi ponit plurima exempla, & casus resolutionum amphibologicarum, & equivocationum, collectos ex propriis Auctoribus; quos repetit etiam Coton. in suis Controversiis. lib. 1. Controv. 11. num. 17. & Gobat. d. Opuscul. num. 596. & seq.

At in præsentī non est ampliùs deferendum dictis Auctoribus, & eorum Auctoritati, ac doctrinæ, cum à Sanctis D. N. Innocentio